

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Sapiencia uel sciencia m cum fonte primo

Iustorum, inquit, sapiencia est nil per ostentacionem fingere, sensum uerbis aperire, uera ut sunt diligere, falsa deuitare, bona gratis exhibere, mala libencius tollerare quam facere, nullam iniurie ultiōnem querere, pro ueritate contumeliam lucrum putare. Hec iustorum simplicitas deridetur et a mundi sapientibus fatuitas reputatur.

Quid enim in hoc mundo stultius quam admissa non querere, possessa rapientibus relaxare,← nullam pro acceptis iniuriis reddere, immo adiunctis aliis pacienciam



prebere?

Gregorius ibidem (X. moralium exponens illud Iob XII.: Deridetur iusti simplicitas).

At contra sapiencia iustorum est nil per ostensionem fingere, sensum uerbis aperire, uera ut sunt diligere, falsa deuitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare quam facere; nullam iniuriae ultiōnem quaerere, pro ueritate contumeliam lucrum putare. Sed haec iustorum simplicitas deridetur quia ab huius mundi sapientibus puritatis uirtus, fatuitas creditur.

Omne enim quod innocenter agitur, ab eis procul dubio stultum putatur; et quicquid in opere ueritas approbat, carnali sapientiae fatuum sonat.

Quid namque stultius uidetur mundo quam mentem uerbis ostendere, nil callida machinatione simulare, nullas iniuriis contumelias reddere, pro maledicentibus orare, paupertatem quaerere, possessa relinquere, rapienti non resistere, percutienti alteram maxillam praebere?

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 10, 29 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.571, ll.14-27).